Caesar, de bello Gallico, I,11 **Raum für Notizen**

1 Helvetii iam per angustias et fines Sequanorum suas copias traduxerant _____
2 et in Haeduorum fines pervenerant eorumque agros populabantur. _____
3 Haedui, _____
4 cum se suaque ab iis defendere non possent, _____
5 legatos ad Caesarem mittunt _____
6 rogatum auxilium: _____
7 *ita se omni tempore de populo Romano meritos esse,* _____
8 *ut paene in conspectu exercitus nostri agri vastari,* _____
9 *liberi eorum in servitutem abduci, oppida expugnari non debuerint.* _____
10 Eodem tempore Ambarri, necessarii et consanguinei Haeduorum, Caesarem certiorem faciunt _____
11 *sese* _____
12 *depopulatis agris* _____
13 *non facile ab oppidis vim hostium prohibere.* _____
14 Item Allobroges, _____
15 qui trans Rhodanum vicos possessionesque habebant, _____
16 fuga se ad Caesarem recipiunt et demonstrant _____
17 sibi praeter agri solum nihil esse reliqui. _____
18 Quibus rebus adductus _____
19 Caesar _____
20 non exspectandum sibi (esse) _____
21 statuit, _____
22 dum _____
23 omnibus fortunis sociorum consumptis _____
24 in Santonos Helvetii pervenirent. _____